

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Carmina in laudem B. Mariae Virginis multorumque sanctorum

Brant, Sebastian

[Basel], [nicht vor 1494]

Elegiaca erhortatio In cō

[urn:nbn:de:bsz:31-290354](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-290354)

Dextera patris residens supremi:
Te suam tandem vocat / & coronat
Inde venturus homo iudicare:

Sæcla per ignem. Aue. Pater noster.

Elegiaca exhortatio In cō
passionem virginis. S. Brant.

Quisquis es obsequio dulci cumulare Mariam
Qui cupis: aut laudis munia ferre sibi:
Fac age quottidie ferta hæc contexe roseti:
Crede mihi dignas pensitat illa vices.
Nempe potēs matrona: sacri patris inclyta mater
Quę passa ex nati multa dolore tulit.
Ac veram ostentans se matrem: cuncta ferenti
Condoluit nato: mortis ad usq; gradum.
Sæpe mori voluit ne quicquã tale videret:
Filiolum incolumẽ posse videre volens.
Velle sed hoc pressum est / ac suppositum rationi:
Et genito & matri / mens erat vna / pati.
Quantũq; hinc nati torsit dolor: inde salutis
Humanę / matrem gaudia tanta tenent.
O quotiens subitus miserę calor ossa reliquit
Matris: & excusso poplite pene ruit.
O quotiens gladii ancipites sacra pectora rumpũt
Atq; adigunt costas vulnera mille pias.
Quę rogo: quę tantos queat explicare dolores
Lingua! vel ingeniũ concipere: adde pium!

Quisnam igitur / quem non moueat dolor iste parentis?
Quis non condoleat luctibus atque suis?
Cum sacro illius / gentesque hominesque miselli
Viuimus officio: & quod sumus / usque sumus
Flectere sola potest iustam hec prece vindicis iram:
Atque indignantis vertere tela dei.
Huic cane vota liberes: supplexque ad sidera palmas
Tende: & Aue dicas: terque quaterque Vale.
Vnica lapsorum reparans medicina Maria:
Vna salus mundi: quam petimus fer opem.
Diua precor roseas memori cape mente tabellas
Brant tibi quas lyrico pectine virgo canit.

